LIBRARY

Date 16 February 1951

Class Mark * KD 1791 Accession No. 36313

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21353803

This thesis was apparently written for
Ludford by his guardian William Wright
and an English version of it was printed
in a Memoir of the late William Wright, D.D.
Edinb. & Lond., 1898, pp. 399-413

# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# FRAMBOESIA.

# TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

# FRAMBOESIA.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JONATHAN ANDERSON LUDFORD,

JAMAICENSIS,

S. Chirur. Phys. Praeses Ann.

Necnon

S. Hist. Nat. Edin. S. Hon. &c.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

36313

Viro illuſtriſſimo

JACOBO GREGORY,

M. D. F. R. S. Edin. &c.

Prax. Med. in Acad. Prof.

Grati animi teſtimonium,

Propter Amicitiam,

Qua me dignatus eſt,

Qua par eſt obſervantia ;

Item,

Item,

ALEXANDRO SHAW,

Armigero,

In Insula Jamaicae

Medicinam feliciter exercenti,

Quo duce, et auspice,

Medicinae rudimenta addidici,

Ob plurima in me beneficia;

Tum

Tum,

Viro celeberrimo et peritiſſimo.

GULIELMO WRIGHT

Reg. Coll. Edin. Soc.

F. R. S. Lond. et Edin.

Et Med. Primar. in Inſula Jamaicae,

Ob ſingularem in me amicitiam

Et benevolentiam ;

Denique,

Denique,

J. JACOBO ERSKINE,

Armigero,

Condiſcipulo meo chariſſimo,

Cujus conſuetudine,

Et amicitia ſingulari,

Per plures annos uſus ſum,

Obſervantiae pignus;

Hoc tentamen,

Studiorum primitias,

Sacrum eſſe

Volo

JONATHAN ANDERSON LUDFORD.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

# FRAMBOESIA.

INTER varios Zonae Torridae morbos, quibus gens humana obnoxia eſt, nullus Framboeſia, ſive tetram mali ſpeciem, ſive diros, quos in quibuſdam exemplis edit effectus, ſpectemus, notatu dignior eſt: Hoc malum Africanum eſt, nomenque ejus *yaws*, quod idem ſonat ac Framboeſia, ob quandam fragum inter et fungos, in variis corporis partibus enatos, ſimilitudinem illi datum eſt. In iſta Africae regione, quae *Gangines* vocatur, *endemice* graſſari videtur, om-

nemque aetatem, potiſſimum vero infantilem, puerilem, ac juvenilem, adoritur ; tantum abeſt ut Aethiopes, quippe qui omnia in rerum natura ineluctabili fatorum vi gubernari credunt, aliquid ad hunc morbum peſtiferum, aut ad quamlibet aliam cladem praecavendam faciant ; ut etiam in eodem tugurio cum hac peſte laborantibus degant. Contagium a Ganginibus in omnes Indiae Occidentalis inſulas, et in Americam, in quibus admodum frequens eſt, invectum eſt : In Europa quoque ſubinde ſe oſtendet. Strages, quam inter Indiae Occidentalis Aethiopes quotannis dat, vere luctuoſa et miſeranda eſt ; et ſane reipublicae, et potiſſimum colonorum, ac medicorum, attentionem jure ſibi vindicat. Quo minus contagium latius inter Aethiopes diffundatur, impedire penes nos fortaſſe non erit ; ſed recta reipublicae adminiſtrandae ratio, et miſericordia clara voce efflagitant, ut hujus generis humani claſſis miſerias, et aerumnas, quantum in nobis facultas ſit, ſublevemus.

levemus. Ante commercium cum Ganginum Incolis, tetra haec peſtis Europaeis innotuiſſe non videtur; neque ulla hujus mali veſtigia aut in ſacris literis, aut in ſcriptis veterum medicorum, niſi forſitan illa quibus Job excruciebatur, reperiuntur. Inter recentiores pauci de Framboeſia tractarunt: Primus de hoc malo tractatus, qui in Britannia editus fuit, in Tentaminibus Medicis Edinburgenis, articulo 176°. extat ſine nomine; Joannes Hume, olim noſocomii nautici Jamaicenſis chirurgus, nunc vero vulneratorum, et aegrotantium praefectus, regio diplomate conſtitutus, hujus tentaminis auctor eſt. Poſtea Virgilius, qui plures annos chirurgiam in Inſula Sancti Dominici fecit, de eodem malo tractavit: Deinde clar. Hillary, Barbadae medicus, de Framboeſiae natura et cura commentarium edidit; poſt hoc diſſertatio pariter ſine nomine, cui titulus " an eſſay on the management " and diſeaſes of Negroes, and on the more " common diſeaſes in the Weſt Indies, and on

" the

" the remedies which that country itſelf pro-
" duces," publici juris facta eſt. Hujus tentaminis almi et benigne auctor eſt Jacobus Grainger, M. D. qui medicinam in Inſula Sancti Chriſtopheri exercebat, de Frambaeſia pagina 55ta differit: Et non ſolum de hoc morbo, ſed etiam de aliis, plurima praeclara tradidit. Poſtrema, quod ſciam, de Framboeſia diſſertatio, a Doctore Macpherſon Edinburgi edita eſt.

Nato in Inſula, qua hic morbus plurimum ſaevit, omniaque fauſta et honorifica natali meo ſolo enixe praecanti, ſperanti quoque me aliquid luminis Framboeſiae naturae et curae offuſurum, nummulumque meum acervo communi afferre cupienti, hoc diſputationis meae inauguralis argumentum, prae caeteris, mihi arriſit. Quaecunque de hoc morbo allaturi ſumus, ſunt aliqua ex parte eadem fere ac auctorum quos ſupra laudavimus; ſi quid his diſſideamus, hoc veritatis amore, propriae obſervationi innixi, facere cogemur: Hanc vero publicam fatendi occaſionem

occasionem arripio, quam sim devinctus amico plurimi faciendo Gulielmo Wright, M. D. qui plures annos medicinam in Insula nostra fecit, et omnia quotquot de hoc malo observavit, candide ac benigne mecum communicavit.

Celeberrimus Cullenus nuper defunctus, in opere egregio Synopsi nosologiae methodicae, se nunquam morbum vidisse fatetur; definitio igitur, qua morbum insignivit, e Sauvagesio, Sagaro, et tentaminibus medicis, excerpta videtur; Framboesiam ad classem III. Cachexias, ordinem III. impetigines, retulit: Hoc tamen minus recte factum videtur: Ad exanthemata enim potius pertinere videtur: Quia, variolae instar, suam accessionem, statum, declinationem, habet; a febricula aliqua, nunc levi, nunc graviore, incipit; insitione propagatur, et semel tantum in vitae decursu aliquem afficit; qui enim semel ex hoc morbo bene convaluit, nunquam denuo quovis modo eodem affici potest: Et de hac re vera tam bene constat, ut Aethiops, qui

ex

ex Framboeſia convaluit, triente pluris aeſtimetur. Praemiſſa Jam Culleni definitione morbi, hiſtoriam pleniorem trademus.

" Fungi, mori, vel rubi idaei fructus, re-
" ferentes, in variis cutis partibus enati."

## HISTORIA MORBI.

In quibuſdam exemplis, pyrexia eruptionis tempore ſatis acris eſt ; in aliis vero vix percipi poteſt, aut ſaltem adeo levis eſt, ut ſenſum effugiat. Primo erumpunt papulae exiguae, acicularum minimarum capitum inſtar, vix primo ſupra cutem eminentes ; brevi, inflammatione ingraveſcente, mole augentur, elevantur, turgeſcunt ; cuticula aliquamdiu poſt decidit ; et partes ſubjacentes ſordibus, vel ſanie albida, foedae conſpiciuntur : Infra haec, fungi exigui, rubri, cute inhaerentes, ſimul enaſcuntur :

Hi

Hi fungi indies grandeſcunt; ſed alii, magis alii minus; nonnulli enim vix minimum fragum ſylveſtre, alii autem morum magnitudine adaequant. In quavis cerporis parte nullo diſcrimine ſe oſtendunt: Sed potiſſimum ex facie, axillis, inguinibus, partibus genitalibus, et perinaeo, exoriuntur; horum fungorum moles, et numerus, ex aegrotantis valetudine corporiſque habitu pendent. Qui ſecunda valetudine fruuntur, et robuſti ſunt, hi fungos paucos, mole tamen majores, habere ſolent; quibus vero corporis habitus infirmatur, vireſque valetudine macerantur, ingenti fungorum numero, qui milii ſemina magnitudine vix ſuperant, tota cutis foedatur; in corporibus robuſtis Framboeſia intra unius menſis ſpatium, in debilitatis vero non niſi poſt tres, aut quatuor menſes, ad ſtatum ſuum pervenit. Fungi tandem macreſcunt, et cruſta flava, quae poſt unam aut alteram ſeptimanam decidit, cute laevi, et plerumque ſine foveolis, relicta, formatur: Horum autem

fungorum

fungorum unus aut alter prae caeteris creſcit, aliquamdiu, et poſtquam caeteri minores defluxere, perſtant; hi vocantur Fromboeſiae magiſtri (*maſter yaws*) et cicatricem ſemper relinquunt. Interea aegrotans cibum appetit, neque macie, aut debilitate, praeter ſolitum, aut quovis alio dolore, aut moleſtia, niſi quae ex morbi ſpurcitie, et illuvie, aut ex fungis affrictis, aut preſſis, exoriantur, afficitur. Clar. Hillary, et quidam alii, harum partium, e quibus exoriuntur fungi, pilos colorem album induere memorant; hi autem ſcriptores aut errant, aut Framboeſiam cum lepra, in qua haec pilorum mutatio revera accidit, confuderunt. Hic eſt verus curſus morbi, naturae viribus relicti, cum neque medicamentis, neque cataplaſmatibus parti primo affectae admotis, a curſu ſuo deflectitur.

Si autem natura, modis ſupradictis, aut quovis alio caſu, perturbetur, morbus longe aliam viam ſibi leget: Si, v. g. cruris, pediſve ulcus

eus ad Framboeſiam pertinens eodem modo, ac ulcera communia, tractetur, aegrotanſve ſolito more operatur, ſituve corporis erecto utatur, brevi in ulcus mali moris tranſit: Partes vicinae inflammantur, ulceris margines laceri, denticulati, et recurvi, cancri inſtar, fiunt: Superficies maculis exiguis albidis, vel illuvie foeda, tetra conſpicitur: carunculae nigrae, foedae, ſanieſque nigricans, olida, e tetro vulnere fluunt: Aegrotanti vires franguntur, tandemque dolore conficiuntur: Fungorum eruptio impeditur, et hac tandem facta, ſolito diutius perſtant, praeſertim ſi hydrargyrum maturius praeſcriptum fuerit. Quando fungi medicamentis externe admotis, qualia ſunt vitriolum caeruleum, mercurius cor. ſub. repelluntur, quod ante hac in navibus quae Aethiopes a Ganginibus ad Indiam Occidentalem advehunt, fieri ſolebat, malum paullíſper evaneſcit; et mancipium pro ſano venditur: Emptor male fallitur, et Aethiops in vitae periculum addùcitur: Hoc facinus ultimam, quam lex ſtatuere

poteſt, poenam meretur. Hic dolus difficillime ab emptore deprehenditur; ſummi vero momenti eſt ut tempeſtive detegatur, alioquin Aethiopis habitus corporis certiſſime perdetur. Quotieſcunque nitidus cutis laevor his partibus, quibus fungi plerumque enaſcuntur, obſervatur, repellentia admota fuiſſe ſine magno errandi periculo colligere fas eſt. Quo citius igitur vitium e ſanguine in corporis ſuperficiem ejicitur, eo certius Aethiops revaleſcet. Hoc, curſum fluidorum ad ſuperficiem dirigendo, ſulphure et remediis diaphoreticis, qualis eſt theriaca, et ante omnia, diaeta roborante, optime perficitur: Si autem Framboeſiae virus diu in corpore haereat, peſſimos edet effectus: Morbus gravior recrudeſcit, nonnunquam in ulcera putrida foetidiſſima, vix ſanabilia, cancri inſtar, erumpit: Alias corpus vehementer tumet, et in unum quaſi abſceſſum mutatur, tota tela reticulata pure impletur, et miſer tabidus moritur.

Fram-

Framboesiae benignae, si perite tractetur, paucis mensibus, medetur: Si vero morbi cursus medicamentis aut quovis alio modo turbetur, ulcera tetra putrida variis partibus succrescunt; nasus et palatum roduntur; ossa dolent, artus distorquentur; quae omnia curatu difficilia sunt, et nonnunquam nullis medicamentis cedunt.

## DIAGNOSIS.

Nosologi Framboesiam in duos species, Africanam, scilicet, et Americanam diviserunt: Haec autem distributio, quippe quae medicinam facienti scrupulum injicit, et ex diversis signis, quae morbum nonnunquam comitantur, solummodo pendet, fundamento parum stabili nititur. Datur quidem apud Scotos et Hibernos morbus quidam *Sivvens* appellatus, quae vera Framboesiae species esse videtur: Harum vero specierum

rum ſigna aliquatenus diverſa ſunt. Cum Protectoris exercitus Scotiae-monticolis primo hanc peſtem intulit, Framboeſia *Cromwelliana* appellari poteſt De hac hic loci fuſius differere e re noſtra alienum videtur ; ſigna, quibus a Framboeſia Africana dignoſcatur, recenſere ſatis habeo *. Framboeſia *Cromwelliana* fauces ac naſum primo adoritur : Africana vero has partes nunquam niſi longo temporis progreſſu, aut poſt curationem ineptam, tentat : Framboeſiae *Cromwellianae* eruptiones humidae, et foetoris vix tolerandi ſunt : Africanae vero acicularum capitibus vix majores durae, nulliuſque odoris ſibi proprii ſunt ; *Sivvens* furunculis hic illic ſparſis, in ulcera profunda mali moris abeuntibus, comitatur ; *Framboeſiae* haec deſunt. In *ſivvens* eruptio pruriginoſa, lichenum inſtar, vel in ulcus profundum, vel in maculam ſcabioſam cum inflam-

* Vid. diſſertationem egregiam de ſivvens, in Edinburgh Phyſical and Literary Eſſays, vol. iii. page 155.

inflammatione, desinit; in Framboesia autem Ganginum heac nunquam observantur: Sivvens ossa raro, Framboesia vero semper, nisi perite tractetur, afficiunt; Framboesiae fungi pustulas excipiunt, tam in facie, et corporis trunco, quam in axillis et inguinibus: Fungi vero in sivvens, inguen, et perinaeum, morbo plurimum provecto, occupant. Framboesia sivvens initio hydrargyro tollitur; Framboesia autem, hoc remedio usurpato, in pejus ruit. In corporibus caetera sanis Framboesia progressu temporis evanescit; si autem remedia efficacia tempestive contra sivvens non adhibeantur, aegrotans certo certius morbo succumbens interibit.

Plurimi Framboesiam et luem veneream eidem principio, variis formis existenti, tribuerunt: Quicunque vero Framboesiae historiam a nobis supra traditam luis venereae signis comparaverit, has affectiones plurimum distare comperiet: Verum est quidem Framboesiam, ossa, nasum, palatum, luis venereae instar, afficere: In

hac

ac autem eruptio, et fungi nulla ſunt praeter a Framboeſia multum diverſas, verrucas, quae nonnunquam partibus genitalibus ſuccreſcunt: Praeterea, Framboeſia ſemel tantum, ſyphilis autem ſaepenumero, aliquem in vitae decurſu afficiunt: Qui Framboeſia laborant, lue venerea, aut gonorrhoea, tentare poſſunt: Haec, nulla Framboeſiae ratione habita, curari poteſt; illa vero non niſi fatiſcente Framboeſia medicabilis eſt.

## PROGNOSIS.

Si corpus ſit alioquin ſanum, veſtes idoneae ſint, et munditiae ſimul colantur, nihil periculi timendum; ſi autem aliis morbis, aut quovis alio caſu, multum infirmetur, exitus anceps et ſaepe lethalis praeſagiendus eſt: Hoc potiſſimum evenit, quando vel morbus ad interiora

remediis

remediis externe admotis repellitur, vel hydrargyrum in primis morbi ſtadiis maturius ingeritur.

## CAUSAE REMOTAE.

Hic morbus adeo inter Aethiopes graſſatur, ut quibuſdam perſuaſum fuerit, mali ſemina corporibus ipſorum a natura eſſe ingenita, et malum tandem aliquando, nulla cauſa excitante admota, erupturum. Haec autem opinio nullo fundamento, ut poſtea docebimus, nititur: Neque Aethiopum corpora magis in hoc malum quam Europaeorum proclivia ſunt. Quibuſdam videtur, Indiae Occidentalis Europaeos, Aethiopeſque, qui dominis ſuis famulantur, Framboeſiae minus opportunos eſſe, quam Aethiopes campeſtres, qui frugibus, qualia ſunt ſemina et radices, veſcuntur: Haec autem ſententia

tentia pariter falſa eſt : Si enim illi eiſdem cauſis objicerentur, iidem effectus ſequerentur. Idcirco omnes huic malo ex aequo proclives eſſe colligere fas eſt. Antequam hanc argumenti partem miſſam faciemus, alia quoque opinio, quae a pluribus pro re vera ponitur, Aethiopum ſcilicet, diaetam ex frugibus maxima ex parte conflatam corporis vires infirmare, ſanguinemque tenuiorem reddere, atque hoc modo in hunc morbum ipſos proclives facere, nobis neganda eſt. Aethiopes enim Jamaicenſes paſcuntur perpaucis frugibus, nutrimenti boni, et emollientis, qualia ſunt, hebiſcus eſculentus (ockra), arum eſculentum (Indian kale), cleome pentaphilla (cays calaloo) variae amaranthi ſpecies (calaloo) ex his frugibus ſorbilla, juſculaque, additis piſcibus, cancris, vel carne ſuilla, et ſale communi et capſico condita, componuntur ; illis vice panis ſunt, magna plantaginis copia (muſa ſapientum) ari radices, colocaſia et ſagittifolium (cocoes) caſſada dulcis, et amara

(jatro-

(jatropha) plures dioſcoreae ſpecies (yams) botata dulcia, convolvulus turpethum (convolvulus turpethum) &c. illis eſt praeterea magna fructuum ſuaviſſimorum vis, quos in hortis agelliſque, iis ad cibaria comparanda conceſſis, colunt.

Hujuſmodi diaeta ſimplex Aethiopes vegetos, robuſtos, laboriſque ſub coelo ſuo natali patientes, reddit: Dum Europaei, famulique ſui domeſtici, qui genio nimis indulgent, labori ſub ſole impares ſunt.

Morbi Aethiopum agreſtium, quales ſunt febres, pneumonia, ad inflammationem pertinent. Sanguiniſque miſſionem iteratam facile ferunt; morbi vero Europaeorum febrium remittentium indolem plerumque induunt; in his, ſi ſanguinis miſſio unquam praeſcribenda ſit, parca quidem et rara eſſe debet; ſanguis ex Aethiopum venis miſſus ſuperficiem coreaceam albam plerumque oſtendit; Europaeorum vero ſanguis textura molli, decolorata, et aquoſa eſt.

## DE CAUSA MORBI EXCITANTE.

Non magis de hujus mali quam de variolae, aut rubeolae, contagione conſtat ; eſt venenum ſui generis, quod, exanthematum inſtar, corpus ſemel ingreſſum effectus ſibi proprios edit ; neque adhuc conſtat per experimenta aut accuratas obſervationes (quantum novimus) de temporis ſpatio, quod contagium corpori admotum inter et Framboeſiae eruptionem intercedit. Framboeſia Africana nullo alio modo quam contactu et quaſi inſitione propagatur ; ſcilicet, ſi virus vulneribus, ulceribus, partibuſve cuticula privatis, admotum fuerit. Quidam corporis habitus variolae contagioni etiam plus ſimplice vice inſitae reſiſtere queunt ; nemo vero, cujuſcunque ſit corporis habitus, aetatis, aut ſexus, ubicunque gentium natus fuerit, Framboeſiae

viri

viri ſemel corpus ingreſſi actioni obſiſtere poteſt.

Quando Framboeſia criſin ſuam attingit, fungi in ulcera tetra et olida abeunt, illuvie albida obducuntur, ſaniemque tenuem effundunt; in hoc ſtadio, morbus magis contagioſus eſt, et his ulceribus virus plerumque ad ſanos defertur.

Framboeſia diverſis modis propagatur: *1mo*, Dormiendo in eodem lecto cum morbo affectis, virus ſanorum vulneribus, aut partibus, quoviſmodo cute carentibus affricando, ingeritur; *2do*, Contrectando hac lue afflatos, ulcerum veneno partibus vulneratis, aut cuticula denudatis, admoto, morbus concipitur; *3tio*, Simul lavando, veluti ſi Aethiops (quod revera ſaepe evenit) cruris ulcere laborans in noſocomium fuerit receptus, ulcuſque ſimul aliquandiu fuerit neglectum, donec tandem Framboeſiae ſignis manifeſte ſe prodat; vitium contactu, tota domo ſe propagabit: Alii enim Aethiopes ulcera ſua, ex diverſa cauſa pendentia, eodem vaſe lavando morbo

cor-

corripientur; 4*to*, Saepiſſime vero omnium muſcis exiguis, quae ſe morbo laborantium ſanie ingurgitant, quibus vis ſanorum partibus inciſis aut cuticula ſpoliatis, conſidentibus, morbus longe lateque diffunditur: Venenum morſibus et contactu inſpirant; et quantulumcunque ſit venenum, hoc modo admotum, morbus aeque certo, ac ſi magna copia advecta fuiſſet, excitabitur.

Framboeſiae virus tardius in corpus agere videtur; qui enim contagione afficitur, nullam neque vulneris, neque ulceris, aut partes affectae mutationem, aliquandiu percipit, niſi quod ſuperficies foeda ſit, et ſanari recuſat. Poſt aliquot ſeptimanas partes vicinae inflammantur, ulcerumque margines laceri dolorem aegrotanti inurunt; hinc ſaniem jam ſecretam acrem eſſe, partemque hujus reſorptam per venas lymphaticas, ad venam ſubclaviam, et in ſanguinem tranſire colligimus: Neque venenum ſanguini commixtum corpus turbat.

Cum

Cum morbo affecti omnibus vitae muneribus aeque facile ac ſani fungantur, haud exiguam veneni partem per organa excernentia, et potiſſimum per cutem, e corpore expelli, partemque cuti inhaerentem irritando, puſtulas excitare nobis veriſimile videtur. Hoc firmatur ex eo quod vegetis ac validis, qui libere ſudant, fungi pauci ac magni; adverſa vero valetudine utentibus, et male veſtitis, puſtulae numeroſae in fungos mali moris abeuntes ſuccreſcunt.

Neque Framboeſiae lues in ſanguinem agere videtur; affectorum enim ſanguis a ſanorum non diſcrepat: Praeterea, qui Framboeſia laborant, quovis alio morbo aeque facile, ac ſani, corripi poſſunt.

Si autem Framboeſia retropellatur, tela reticulata pure penitus repletur; itaque virus, licet in ſanguinem ac genus nervoſum ſegnius agat, ſingularem tamen lympham in pus, aut ſaniem permutandi vim habet: An hoc ſine inflammatione praeſtat? Aliquis forſitan mihi vitio vertat,

tat, quod hic loci ſymptomatum rationem non reddam: Morborum autem contagioſorum, et potiſſimum exanthematum, phaenomena, contagionum natura, legeſque quibus machina humana gubernatur, tanta caligine merſa ſunt, ut mihi tyroni ac juveni, qui hanc argumenti partem ſilentio praeteriverim, condonatum iri ſperam; maximi enim philoſophi, qui in hac palaeſtra inſudarunt, auſis ſuis exciderunt.

Huic argumenti parti finem imponemus, ſequentia eodem fere ſpectantia ex operibus profeſſoris noſtri almi et benigni citando; " nemini " vero latere potuit, qui vel *theorias*, quas varii " protulerint auctores, ſedulo perpendiſſet, vel " artem medicam talibus principiis innixus ex- " ercere tentaſſet, quantum his de rebus hallu- " cinati eſſent ſcriptores medici, quorum unuſ- " quiſque conjecturis ſupplere ſolebat *."

PRO-

* Vid. celeberrimum Gregorium, p. 24. vol. I.

## PROPHYLAXIS.

Morbus nulla alia ratione, quam omne cum aegrotis commercium et contactum fugiendo, praecaveri poteſt, in hoc Europaei animum intendunt. Plerumque vero fieri non poteſt, ut omni Aethiopum ſanorum ac morbidorum conſortium praecaveatur: Dominis ac curatoribus Europaeis, qui plerumque una cum Aethiopibus ſuis verſantur, opera danda eſt ut ulcera, parteſve cute carentes, dum ad morbo infectos accedunt, probe tegantur: Saepe de Aethiopum valetudine inquirendum eſt, et ſimul providendum, ut munditias colant ac bene veſtiti ſint. Ille eſt dominus optimus, qui Aethiopes ſuos bene nutrit, fovet, ac veſtit, et exhilarat: His enim obſervatis, a contagione melius

lius cavetur, et morbus, ſi forte acciderit, erit benignior et brevior.

## RATIO MEDENDI.

In quolibet praedio Jamaicenſi prudenter ordinato valetudinarium in uſum Framboeſia laborantium, in loco opaco frigido, ac ſalubri, ad rivuli aut lacus ripam, juxta ambulacrum arboribus utrinque conſitum, extruitur. Praedii dominus huic noſocomio matronam ſedulam, ac prudentem, quae ipſa a morbo feliciter olim convaluit, praeficit; alimentorum veſtiumque ſatis ſuppeditat, et ſimul jubet ut Aethiopes leviſſimis tantum operibus occupentur, veluti greges paſcendo, aut agellos ſuos ſarriendo: Hoc modo ab ignavia et moerore animi ipſorum avocantur, et denique curat dominus ut munditiis ſtudeant ſua mancipia: Haec omnia haud

haud parum ad ſanitatem recuperandum conferunt.

Obſervandum eſt, hunc morbum Aethiopum medicis, qui eos in praediis curant, raro prius indicari quam quidam acutus, veluti febris, dyſenteria, aut pneumonia, iis ſupervenerit: Et in hoc caſu ipſi profecto medici in ſummo periculo verſantur: Si enim hoc vitio tetro corripiantur, maximum vitae ac fortunarum periculum adeunt. Domi enim occluſis omnium conſuetudo per plures menſes vitanda eſt: Et ſi tandem auſpicato convaluerint, bene eſt; hinc videmus quare Framboeſia tam male intelligitur et imperite tractatur: hinc denique plurium auctorum errores, quippe qui aliorum fidei, non propriis obſervationibus, innixi, de hoc morbo ſcripſerint, facile condonandi ſunt.

Tantum abeſt ut Aethiopes Ganginum Framboeſiam vitent, ut etiam morbum accerſere videantur; morboſi enim, ac ſani, ſub eodem tecto degunt: Hinc Aethiopum Ganginum plerique,

qui in Indiam Occidentalem advehuntur, morbum pueri paſſi ſunt, fieri poteſt ut apud Gangines morbo peritius medeatur, quam apud nos; nullum enim Aethiopem membra diſtortum, aut quae Framboeſiam ſequuntur, malis affectum in Indiam Occidentalem advectum videmus; hujus autem ratio non alia fortaſſe eſt, quam quod Mangones, ſervos ita affectos, emere nolunt.

*Ratio medendi* ſequentia conſilia complectitur.

I. Viribus aegri ſuccurrere.

II. Excretionem per cutem promovere.

III. Humores curruptos corrigere.

IV. Damna corpori illata reconcinnare.

*Primo*, Aegri viribus ſuccurrendum eſt diaeta liberali, ex carnibus praeſertim, et modica quantitate vini, aut ſpiritus vini aqua diluti; cubiculo ſtragulis et veſtimentis calidis, et aptis; balneis, et exercitatione citra fatigationem.

*Secundo*,

*Secundo*, Excretio per cutem, non ſolum ſupra dictis, ſed etiam radicis contrayervae infuſo, aut tinctura, parvis doſibus, radicis chinae orientalis decocto, et radicis ſaſſafras tinctura, promovenda eſt.

*Tertio*, Humores corrupti optime diaeta ſupra laudata, ſarſaparillae, radicum contrayervae, et ſaſſafras decoctis, &c. corriguntur ; et, morbi finem verſus, ſi his non feliciter cedat, mitiora ex hydrargyro praeparata tuto et non ſine fructu, at in ultimis morbi gradibus ſolis, praeſcribuntur : Parvis doſibus adminiſtrata plurimum proficient ; ita ut totum corpus afficiant, non vero ut ſalivam moveant : Si decoctum lignorum et contrayervae pulvis, una cum his propinentur, morbo certius medebitur, hydrargyrum maturius praeſcriptum maxima damna corpori inferet ; idcirco non niſi Framboeſia ſtatum ſuum attingente, quod ex fungis eadem mole aliquandiu perſtantibus cognoſci poteſt, praecipiendum

piendum eſt. Et fungi ulcerum communium inſtar curandi ſunt.

*Quarto*, Damna per morbum ipſum, aut curationem ab initio malam, corpori illata ſunt, ulcera tetra, oſſa naſi roſa, et oſſium dolores, et debilitas.

Emplaſtra ex oleoſis confecta, fomenta calida, ulceribus e Framboeſia pendentibus non bene reſpondent : Lavatio frigida, et emplaſtra e frugibus conflata, optimos edunt effectus : Si ulcera parva ſint, proderit iis imponere folia *ciſſi cicyoidei*, (vulgo *yaws buſh* nominati), aut *jatrophae curcas*, Anglice, *phyſic nut;* ſi vero magna ſint, emplaſtrum ex hiſce foliis, una cum ſaccharo, aut pulpa aurantiorum hiſpalenſium toſta contuſis, praeſtantiſſima antiſeptica ſunt; naſi et palati roſiones, ulcera foeda, oſſium dolores, &c. ex hydrargyri doſibus parvis, citra ſalivae fluxum, et lignorum decocto, curanda ſunt : Debilitati ab intempeſtivo hydrargyri uſu optime

time occurritur diaeta lauta, et ſarſaparillae decocto, ac pulvere.

Antequam huic argumento finem imponemus, res rara, ulterioriſque indagationis perdigna, memoranda eſt; Framboeſia laborantes aliis exanthematibus, quales ſunt rubeola, et variola, obnoxii ſunt: Haec arte ſeu inſitione induci poteſt, quae melius fatiſcente Framboeſia tentatur; tunc enim Framboeſiam variola vel penitus tollet, vel ſaltem per aliquod tempus coercebit, neque diu perſtabunt fungi, ſi forte iterum in ſuperficie ſe oſtendant.

Saepe, omnibus ulceribus ſanatis, humor colligitur ſubter plantae pedis cuticula, quae his, qui excalceati incedunt, mirum in modum craſſeſcit: Hinc humor, quo minus per cuticulam exeat, impeditus in maſſam duram cogitur; cujus ſuperficies eadem eſt ſpecie ac illa officuli mali perſici; huic autem vitio pedes in balneum calidum, donec cuticula molleſcat, immergendo, brevi medetur; hoc modo maſſa a carne ſuparatur,

tur, et inciſione idonea illud concretum, nullo fere negotio, eruitur; vulnuſque linimento, emplaſtriſque adhibendis, brevi ſanatur.

FINIS.

* (61)
1691

S.S 7162